



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXIII. Qualis, & quanta esse debeat hominis, qui perfectè Deum diligit, adversùs suum corpus severitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

tèm, quæ ipsi infligi à me poterunt. Ut vilita frueretur voluptate, debitum omne Numini obsequium impudentissimè proculcavit? Nullo jam deinceps etiam permissæ voluptatis gustu fruetur. Parùm est: inebriabitur felle, & absynthio: quidquid maxime horret, experiri cogetur: neque alia vive de causa, nisi ut moriatur diutiùs. Volo, suis discat impensis, quàm altè commovear injuriis ei illatis, quem ultra me amo, quantæque mihi curæ fit, ut, qui illum offendit, quàm plenissimè ei satisfaciat.

CAPUT XXIII.

Qualis, & quanta esse debeat hominis, qui perfectè DEUM diligit, adversùs suum corpus severitas.



Distinctiùs explicandum jam est, quænam sit materia, ubi potest, quique modus, juxta quem debet hæc corporis afflictatio exceri, quam ad DEUM perfectè diligendum usque ad eò necessariam esse homini vidimus, & ad ejus praxim tot, tamque validis ratio-

nibus facer illius amor nos stimulat. Quamvis enim dixerimus, optimam tractandi corporis rationem esse, ut tractetur quàm pessimè, defraudando nempe ipsū iis, quæ appetit, & cogendo pati omnia, quæ refugit; manifestum est tamen, debere id cum iusta aliqua limitatione accipi: nec, qui in suum corpus magis sæviat, plus continuò eum laudis mereri; sed posse hìc quoque ex inconsulto maioris boni studio peccari: ac proinde contrarij aliquo limite opus esse, quo inter vitiosa curti, nimisque extrema, iustum, & rationi congruentem virtutis modum determinet. Et circa hunc quidem, utpote in præfenti materia multiformem, proque personarum diversitate varium, non pauca se offerent dicenda: sed vitandæ prolixitatis gratiâ tribus eum, quæ sequuntur, regulis designare generatim conabor.

2. Statuo igitur primò, vitiosas nimietatis causâ esse censendas omnes illas corporis insectandi artes, quæ vel suapte naturâ, vel ex particulari conditione eas usurpantis vim habent mortis intrâ breve tempus illi accensendæ, aut periculoso, & gravi morbo eum percellendi, aut illius valetudinem, & vires plusquam mediocriter labefactandi. Ità

O

Theo-

Theologi communiter sentiunt, & nominatim D. Thomas, affirmans: *Macerationem corporis non esse DEO acceptam, nisi in quantum cum debita discretionem fit, ut scilicet concupiscentia frænctur, & natura non nimis gravetur.* (2. 2. qu. 88. a. 2. ad 3.) Suumque id effatum comprobans testificatione austerissimi ceteroquæ inter Latinæ Ecclesiæ Doctores, id est D. Hieronymi: *juxta quem, de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel summi penuria immoderatè corpus affligit.* (Ib. qu. 147. a. 1. ad 2.) Cæterum, si subitum, & grave corporis detrimentum absit, neque rigidior illius cultus aliud noxæ afferat, quàm quòd vires sensum atterat, breviorèmq; annis aliquot vitam hominis reddat; nequaquam leti hujus, vixque sensibilis dispendii causam nimis existimari, atque imprudens merebitur, veluti scientissimus spiritualis vitæ magister, Alphonsus Rodericius, (Par. 3. Tr. 5. c. 17.) & Theologorum autoritate, & sanctorum virorum exemplis, & idoneis rationibus probat. Præsertim verò quòd vivendi austeritas, esto gravis, & molesta sensui accidit, non tamen semper valetudini obest, saltem quantum nostra nobis animi veriùs, quam corporis imbecillitas fingit. Imò experientia

tia demonstrat, permultos ægrotantibus similes per omnem vitam agere, quia ægrotantium ritu se gerunt: & valetudinem nimiam plerumque curam enervari, contra verò ex neglectu, & incuria plus roboris ducere: fœni Græci instar, de quo refert Plinius: (L. 18. c. 16.) *Quantò pejùs tractatur, tantò provenire meliùs*; subdens: *Rarum dictu esse aliquid, cui profit negligentia.* Audiatur testimonium D. Teresiæ, quæ suo id exemplo confirmat. *Cùm infirma aded valetudine utar, quamdiu apud me non constitui, valetudinem, & corpus negligere, impeditam me sensi, ac devinctam, ne quidquam boni agerem. Ast ubi, DEO illustrante, hanc dæmonis fraudem perspexi; si ille deinceps sanitatis discrimen mihi objiceret, respondebam: nil refert me vivere: si necessaria admoneret quietis; haud quiete, sed crucis gestatione opus mihi est, subjungebam: nec secùs in aliis ejusdem generis. Et palàm agnovi sapiissime (quamvis revera corpore admodum invalido sim, ac morbis obnoxio) talia à dæmone suggeri. Postquam enim minorem mei curam gero, neque tantum corpori inservio, longè meliùs valeo. (In Vit. c. 13.)*

3. Statuo præterea cum eodem D. Thoma, illas quoque sui afflictationes pro nimis, & irrationalibus esse habendas, quæ ho-

minis vires ita enervant, ut eum minus, quam
 par est, habilem reddant exercendis aliis o-
 peribus, quæ vel propria statûs sui sunt, vel
 majoris saltè momenti, quam hæc, aut il-
 la peculiaris castigatio corporis eorum fun-
 ctioni officiens. *Recta ratio* (ait sanctus Do-
 ctor) *non tantum de cibo subtrahit, ut homo*
reddatur impotens ad debita opera peragenda
2. 2. qu. 147. a. 2.) Quæ regula neminem fru-
 git, quàm rationi consentanea sit: quemad-
 modum nemini quoque obscurum est, quan-
 tum à ratione abhorreat, exercitia, quæ à
 quolibet suum munus exigit, arbitrariis posse
 haberi, quæque majoris momenti sunt, in
 gratiam minus utilium negligi. *Si debilitatum*
corpus, & conficere studeo, (inquit Nazianze-
nus) non habeo, quo socio; & opitulatore ad me
præstantissimas utar: nimirum haud ignorans,
quam ob causam procreatus sum, quòdque me pro-
fectiones ad DEUM ascendere oporteat. (Or. 16.)
 Qui ergo à peculiati aliquo austeritatis gene-
 re hujusmodi detrimentum experitur se acci-
 pere, debet, si prudenter, & secundum re-
 gionem operari vult, ab illo abstinere. Quan-
 vis non deerunt alii complures, quibus, quòd
 idem austeritatis genus pro diversa sui cor-
 poris constitutione nullum tale incommodum

dum pariat, citra omnem immoderati rigoris notam, imò etiam cum merito, & laude virtutis, illo uti fas erit. Quemadmodum non eadem sunt omnium vires, sic neque una potest hic statui pro omnibus iusti, & nimii mensura. Periculum unusquisque sui faciat, indè arguens, *quid ferre recusent, quid valeant humeri*: neque aliorum exemplis, sed propria facultate, atque habitudine metiatur, imponendam suo corpori sarcinam: memor, eadem illa arma, quæ usui, præsidioque ad pugnandum Sauli erant, oneri, atque impedimento Davidi fuisse: & Phædri ranam miserè disruptam esse, dum bovis magnitudinem se inflando æquare contenderet. (*Fab. 24. L. 1.*)

4. Duo tamen sunt, quæ pro legitimo secundæ hujus regulæ intellectu advertenda esse censeo. Primum ad aliquam corporis castigationem pro nimia, & irrationabili habendam, eò quòd reliquarum virtutum functionibus impedimentum afferat; opus esse, ut non quocunque tandem modo, sed valde, gravitèrque has obturbet. Nam si difficilior tantum, & minùs commodam operationem homini reddat, nihil præterea obstans, nè ille aliquantò enixiùs conando vel pari,

vel paulò minori cum perfectione eam exequi possit, nulla esse habenda talis impedimenti ratio videtur. Alioquin quisnam in spiritali vita locus esset austeritati, quæ tantum præsertim affligit? Næ illam procul à mandari oporteat, quasi noxiam magis, quam utilem; & pro eo ut puniatur, vexeturque corpus, omnia potius illius commoda esse quærenda: cum, quantò tractatur melius, tantò ferè habitudinis, vigorisque ad operandum plus habet.

5. Alterum, quod observari oportere existimo, est, consuetudinem, ut in omnibus ferè aliis rebus, ità plurimum hic etiam valeat ad reddenda post aliquod tempus innocua, quæ primùm lædebant, & levia, quæ initio portantes gravabant. Quæ observatio ad hoc valebit, nè simul atque experimur afflictione aliqua inhabiliores ad operandum nos effici; eam continuò, tanquam importunam, & justo graviolem abdicemus, sed potius crebro usu familiarem, & amicam nobis facere studeamus; animadvertendo, nunquam pluries repetita minus sensim, ac minus non præpediat. Id enim si accadat, argumentum erit, si diutiùs continetur, nihil denique impedimenti allaturam. Quemadmodum

contrario, si pluries usurpata, æquè semper, ac initio gravis, & incommoda sentiatur, rectè hinc arguemus, eam ad nos parùm facere, aliisque esse, quibus congruentior sit, relinquendam. Ubi etiam ad facilorem hujusce artis praxim adjicio, è re admodum fore, si prædictis exercitiis pœnalibus, unde nostram imminui ad actiones ordinarias habilitatem experimur, nos assuefacere, haud protinus secundùm totam eorum asperitatem, sed paulatim, & per partes conemur, à minoribus sensim procedendo ad majora. Ceu exempli gratiâ, si quotidiani somni tempus curæ nobis sit à septenis ad quinas, vel pauciores horas contrahere; debemus primùm ex ampliore illo spatio semihoram tantummodo refecare, & somno ità modicè decurtato uti, quoad natura primam hujusmodi illius diminutionem molestè jam non ferat: tum alteram semihoram detrahere, pergendo eâ itè carere, donec consuetudo hunc quoque defectum nobis insensibilem reddat: atque ità paulatim demendo progredi, usquedum destinatâ quinque, aut pauciorum horarum mensurâ contenti tandem esse addiscamus. Simili ratione, qui cilicii usu ineptiorem ad ordinaria sua ministeria obeunda se reddi ex-

peritur, vellétque nihilominus citra horum fraudem illo uti, poterit initio lineam subculam laneâ mutare: dein ubi hæc unius, alteriusque anni gestatione, & quasi familiaritate minùs dura corpori evaserit, aliam crassiore, & cilicio similiorem substituere: quam tamdiu gerat, quoad longa assuetudo illius quoque asperitatem mitigârit, & corpus postremò per hujusmodi proluiones ad cilicium minùs ægre, minorique cum incommodo tolerandum paraverit. Arte quidem & à Cyro Persarum Rege animadversa, & militibus suis commendata, dum hortatus est, ut ad dediscendum vini potum ejus mensuram pauxillula, & insensibili detractio diminutum in dies singulos irent: quoad imprudentes quodammodo aquæ assuesierent. Scribitur quippe, & pederentim progrediens converso efficit, ut quævis natura mutationem perferat: quod etiam DEUS ipse ostendit, dum nos paulatim à frigore ad maximum calorem, & vicissim calore ad maximum frigus perducit. (Xenoph. 6. Cyrop.) Nec providè, & feliciter minus Dorotheo Abbate usurpata: cum illius opus Dositheum suum discipulum eò adduxerit, ut cui sub vitæ monasticæ initia ad quotidianum victum sex panis libræ opus erant, octiduum postmodum unciæ sufficerent. (In Vita Dositheo 6. Cap.)

6. Constitutis porrò geminis hisce regulis, nullo jam negotio, & quodammodo per se ipsam tertia consequitur. Ea verò est, uti nimio rigore vexationes illæ corporis peccant, quæ aut graviter valetudinem lædunt, aut rectis operationibus non mediocri impedimentum objiciunt; sic reliquas omnes, unde prædicta incommoda absunt, ad legitimam austeritatem spectare. Adeò ut aliquam ex primis suscipere, sit ultra rectum illius modum excurrere: aliquam ex secundis per ignaviam omittere, infra rectum illius modum subsistere: nullam verò neque ex illis exercere, neque ex his prætermittere legitimum in ea recti modum servare. Quòd si post allatas quoque hæc regulas aliqua nihilominus circa hanc, vel illam corporis vexationem occurreret dubitatio, num intrà, an extra modum virtutis ea sit; reliquum erit ad obedientiam confugere, veluti ad supremam, & universalem regulam tutè operandi; nimirum dubitandi rationes suæ animæ moderatori aperire, & illius sententiam, definitionemque non aliter, ac certissimum Numinis oraculum sequi: omittendo, quidquid ipse ceu immoderatum dissuadeat, & eligendo quidquid pro justo approbet.

7. En itaque, ô Lector DEI amandi studiose ! illius austeritatis mensuram, ad quam sanctissimus illius amor te impellit. Impellit ad macerandum tuum corpus omnium poenarum genere, quibus salva necessaria valetudinis, idoneæ ad rectas operationes facultatis, & obedientiæ ratione affici potest: adeo ut intrâ hosce cancellos quodcunque illius est oblectamentum fugias, & incommodum consectere. Quænam verò illius tum oblectamenta, tum incommoda sint, declarari enucleatius nequit, quàm percurrendo quinque illa instrumenta, quæ ad fruendum, patientiùmque illi tribuit natura, quinos nempe illius sensus: & observando, quid horum sibi vel jucundum sit, ut eo defraudentur, vel molestum, ut illud pati cogantur.

8. Primus sese offert visus; ad quem omnibus divexandum modis, non debetis permittere oculis, ut curiosè contemplantur objecta sibi arridentia, præsertim formosos vultus, choreas, ludos, principum palatia, profanae magnificentiæ apparatus, sumptuosorum vestium phaleras, idque genus spectacula ad intuentium oblectationem apposita: sed est potius studiosè defigere in species visu horridas, mendicos fordibus, illuvièque oblitos

corpora insigniter deformia, ulcera fanie manantia, & quodcunque aliud ingratum obiectum. Sequitur auditus, qui prohibendus tibi erit omni delectatione vocum molliter sonantium, & cantuum, saltè qui divina, vel moribus componendis utilia pro argumento non habent: contràque assuefaciendus, ut patienter excipiat strepitus exosos, cuiusmodi sunt latratus canum, ferrarum stridor, clamores inconditi, oscitationes sonoræ, & alii ejusdem generis, quibus aures delicatæ offenduntur. Succedit olfactus, qui cùm suavi unguentorum, pulverumque, & laticum odoratorum fragrantia delectetur; hanc tu illi vel omnem, vel saltè quæ humano elaboratur artificio interdices: non modò nîl ejusmodi deliciarum penes te habens, sed earum quoque halitum, si fors aliunde aspiret, averso vultu, vel suppressa tantisper respiratione devitans. Quemadmodum altera ex parte, quia omnis fœtor odio ipsi est, atque horrore, hoc illum studebis torquere, frequentando libenter loca, unde exhalatur, ceu nosocomia, atque ergastula, & familiariter cum personis agendo, quorum vestes, ac corpora graviter consueverunt olere, putà opilionibus, mendicis, ægrotis.

g. Sed

9. Sed præcipua auferitatis erga corporis materies sunt duo reliqui sensus, gustus nempe, atque tactus. Et ad gustum quidem quod pertinet, quemadmodum ille victum expectat affluentem, & lautum; ita ejusdem parcitate, vilique, & minùs sapida conditione affligendus tibi erit. Parcitas senis hisce legibus continetur. Prima est, ut extra prandii, cenæque tempora perpetuum observes, nec se verum minùs jejunium, quàm quod ante Eucharistiæ sumptionem Ecclesia præscribit: lex D. Philippo Nerio tanti visâ momenti, ut suorum cuidam vesci extra mensam solito asseveranter dixerit: tu nunquam spiritualis homo eris, nisi istuc vitii dediscas. (*In Vita* 2. c. 14.) Secunda, ut inter ipsas mensas appetitum ventris, ac gutturis moderêre, minùs semper cibi capiens, quàm eorum potest ingluvies. Tertia, nè ullum ex appositis ferculis totum exhaurias, sed aliqua singulorum parte genium defraudes. Quarta, ut solemnibus, ac festis per annum diebus non largiùs, quàm profestis vescârè. Quinta, ut si vires patiuntur, semel tantùm in die cibo refici assuescas. Sexta, ut quotidianæ huic, & perpetuæ in cibo parsimonix crebra itém stas anni temporibus superaddas jejunia

Circa verò qualitatem, & conditionem victus decem hæ tibi severitatis regulæ usui esse poterunt. Prima, ut vino vel in totum abstineas, vel quàm modicissimo utaris. Secunda, ut extraordinarias quasdam, & delicatiores solito dapes in perpetuum tibi interdicas. Tertia, ut ea itèm cibaria à tuo usu proscribas, unde plus delectationis palatum, quàm nutrimenti, & vigoris corpus percipit, cujusmodi pleraque sunt ad secundam mensam spectantia. Quarta, ut ex duobus ferulis, quoties tui arbitrii res est, illud semper eligas, quod gulæ minùs arridet. Quinta, ut apposis tibi eduliis nihil vel ordinarii, & vulgaris condimenti addas, quod purè ad augendum illorum saporem conducit. Sexta, ut, nisi stomachi imbecillitas reclamet, panetantum, caseoque, vel vulgari alio obsonio victitare assuescas: cum hoc uno alimenti genere possit facilè hominis corpus non sanum duntaxat conservari, sed vegetum quoque, & cuivis labori sufficiens, prout ubique obvia agricolarum, pluriùmque aliorum opificum exempla testantur. Septima, ut hac victus simplicitate tunc saltèm contentus sis, cum communis mensa nihil tibi apponit opsonii, præter eas dapes, quæ esto cæteroqui plebe-

jæ;

jæ, & vulgares, tuo tamen gustui peculiariter
 sapiunt: intactum relinquens gratioris hoc
 pabuli genus, illiusque defectum largiori pa-
 nis usu compensans: juxta prævium Thomæ
 Sancii, Theologi, & Scriptoris celeberrimi
 exemplum: in cujus privatis schedis, præter
 alia, quæ sibi ad spiritualem profectum, &
 virtutis exercitationem observanda proposita
 erat, hoc quoque sub illius mortem reper-
 tum est: (*Apud Crombec. de Stud. Perf. l. 2. c.*
32.) *Neque toto vitæ meæ decursu certis quibus-*
dam ciborum generibus utar, quòd meo palato mi-
rum in modum arrideant, etiamsi nudo pane tu-
temporis contentus esse deberem. Illud omnino in-
tactum relinquam, in quod appetentia mea ferretur
ardentiùs. Octava, ut studeas gustum, sapor-
 emque escarum, quibus vesceris, quàm mi-
 nimùm possis sentire: partim affundendo
 frigidam, vel amari quidpiam intermiscendo,
 partim sevocando ad alia objecta ab iis men-
 tem: ita ut sumas quidem, quod opus est ci-
 bi, sed illius qualitatem minimè advertens,
 imò vix penè advertens, num comedas. No-
 na, ut nequaquam repudies, aut aliis permu-
 tari eos cibos cures, quos naturalis sensus tu-
 us averfatur, imò iis solito largiùs, dummo-
 do nè valetudini officiant, vescaris: quemad-
 mo-

modum etiam, ut crebrò ex eadem torquendi gustu austeri saporis materias, ceu absinthii folia, malorumve aureorum corticem, sive intrà, sive extra mensam adhibere instituas. Decima, ut si quando contigerit, oblatas tibi epulas, sive ob materiæ conditionem, sive obcoqui incuriam parùm palati tui esse; de hac ipsa minori ejus voluptate in sinu tuo gaudeas, & peculiare sub finem mensæ, amantiorésque gratias Numini referas.

10. Nec minori severitate adversùs tantum uti te oportet: denegando ipsi quoque, quantum fas est, omnia illa, quibus naturaliter gaudet, qualia sunt exempli gratiâ auræ refrigeratio æstivis mensibus, ignis fomenta per hyemem, requies post laborem, commodior corporis situs, delicatæ vestes, lecti mollities, somni prolixitas: & cogendo præterea eundem pati, quidquid justa moderatio, & obedientia permittit molestiarum, incommodorum, cruciatuum. Quo spectant nocturnæ vigiliæ, indumentorum asperitas, somnus super nudis asseribus, aculeata cingula, creber flagellorum, ac cilicii usus, pedestria itinera, inquietes gravium laborum per magnam diei partem continuatio, per incommoda orandi semper de genu, manibúsque
an-

ante pectus junctis, vel brachiis in crucis forma
 mam extensis, consuetudo, voluntaria castitas,
 atque aliorum citra ullum lenimen, musca-
 rumque, & pulicum sine abactione perse-
 cussio: nec non plurimæ aliæ pœnalarum hujus-
 modi exercitationum species, quas inexple-
 tus crucifigendæ carnis suæ ardor veris DEI
 famulis suggerit.

II. Denique, si cordi tibi est, ad
 plenum, perque suos omnes numeros illam
 exercere vivendi austeritatem, quæ perfectio
 DEI amori excitando, fovendoque adeo est
 necessaria; debes, quantum sine gravi seu va-
 letudinis noxa, seu rectarum operationum
 præpedimento fas est, modis omnibus in-
 tectari tuum corpus, neque ullam ipsi annu-
 ens earum oblectationum, quas amat, ne-
 que ullam condonans earum vexationum,
 quas odit. Imò neque his peractis contem-
 tus omnino esse debes, sed optare insuper, ut
 DEUS, hominesque, & aliæ res creatæ reli-
 quum hoc in genere exequantur, quod ipse
 exequi non potes: & gestire, si quando con-
 spirant ii quoque ad domesticum tuum ho-
 stem pro virili sua parte insectandum: cu-
 exempli gratiâ, si importuni canum latratus,
 molestæve culicum punctiones necessaria so-
 mi-

inni quiete frui vetant, si capitis, dentiumve
 urget dolor: si improvise lapsu, offensuve
 partem aliquam corporis læseris: si morbi
 causâ te uri, secari, aut alia id genus reme-
 dia, morbo sæpe ipso duriora, experiri opus
 est: gratulans tibi de hujusmodi perpessione-
 bus, lætôque illas vultu, quasi amicos officii
 causâ invisentes salutans: ad exemplum D.
 Francisci Borgiæ, qui amicorum nomine ap-
 pellabat omnia illa, quæ aliquid sibi molestiæ,
 aut doloris crearent: (*Apud Roder. P. 2. Tr.*
I. c. 15.) hilari ore solitus dicere, ubi sol,
 ventus, nix, pluvia, podagræ dolor, aut ali-
 us quis casus infestaret: *quàm benignè amicus*
nobiscum agit? Imò ad exemplum ipsiusmet
 Servatoris, ac Domini nostri Jesu Christi,
 qui nulli ex rebus, quæ ad mortalis vitæ com-
 moda sibi servierunt, tantum honoris præsti-
 tit, quantum cruci, clavis, & spinis, quæ sup-
 pliciorum, ac necis fuerant sibi instrumenta:
 prout animadvertere D. Gertrudem jussit,
 dicens ei: (*L. 4. Insn. c. 54.*) *Considera, qua-*
le exemplum dem tibi in crucis exaltatione. Nam
præ cæteris creaturis, quæ mihi inservierunt ad
commoda temporalia, ut sunt vasa, & similia,
multò majorem honorem cruci meæ, coronæ, lan-
teæ, clavis, & similibus, quæ mihi ad pœnam ser-
P P
vie-

vierunt, habeo. Quarum exercitationum tu-
 fu, ceu perges magis semper, ac magis pro-
 posterum tuæ carnis amorem in tuo animo
 extinguere; sic ulterius semper, atque ulte-
 rius, remotis nimirum, qui ab illo veniunt,
 obicibus, in sanctissimo DEI amore profici-
 es. Testatus olim de se fuerit examinatus
 ille Israëlis Rex: (*Eccles. c. 2.*) *Omnia, quæ
 desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec pro-
 hibui cor meum, quin omni voluptate fruere-
 tur.* O quantò nobilior contestatio tua erit, si con-
 traria omnino ratione profiteri de te possis.
*Omnia, quæ desideraverunt sensus mei, negavi
 & prohibui cor meum, nè ulla voluptate fru-
 retur.*

CAPUT XXIV.

Ad perfectum DEI amorem
 necessariò requiri, ut reprimamus
 voluntatem propriam, imò
 ut illâ etiam nos omnino abdice-
 mus.



Perfecta mortificatio nihil est ali-
 ud, quàm omnimodum, & un-
 versalis amoris proprii antipathia
 tota: nempe odium, fuga, & ab-
 ditio.